



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio VII. De Conscientia probabili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

R. t. neg. Nam cum in dubio positivo intellectus hinc inde aequaliter aut ferè aequaliter trabatur, nec una pars magis appareat vera aut falsa, quam altera, non potest intellectus, etiam ex imperio voluntatis, uni parti ut vera adherere, potius quam alteri. *Resp. 2.* Est, quod in dubio positivo intellectus possit ex imperio voluntatis uni potius parti tanquam verè adherere, quam alteri; at saltem non potest sine oppositi gravi formidine, quæ non potest nisi imprudenter contemni. Talis autem adhesio excusare non potest eum, qui partem minus tutam eligit, relicta tutiore; & qui cum tali adhesionem partem minus tutam eligit, relicta tutiore, lubens ac volens incurrit morale periculum transgrediendi legem aliquam. Denique cum in dubio positivo neutra pars appareat magis ad verum accedere, quam altera, neutra magis appareat vera, quam falsa; non est, cur operans sibi persuadeat partem minus tutam, tutiore, velut falsam, rejectam, veram esse; & consequenter ad summum habere tantum potest imprudentem persuasionem, quod pars minus tuta sit vera, proindeque non potest illam eligere, relicta tutiore, nisi cum imprudenti persuasionem, quod hæc electio sibi licita sit.



DISPUTATIO VII.

De Conscientia probabili.

ARTICULUS I.

Utrum intellectus possit assentiri opinioni verisimili, quando opposita opinio apparet ei verisimilior.

RESPONSIO.

In intellectus non potest saltem prudenter assentiri opinioni verisimili, quando, omnibus maturè ponderatis, opinio opposita apparet ei verisimilior.

Prob. Nam si intellectus iudicaret veram esse opinionem minus verisimilem, & falsam esse opinionem oppositam verisimiliorem, minorem verisimilitudinem majori præferret in iudicando. Atqui intellectus hoc non potest saltem prudenter. Ergo, &c. Major patet. *Prob. min.* Ut intellectus prudenter se gerat in iudicando, debet in iudicando, quantum in se est, vitare malum suum. Atqui hoc non faceret, minorem verisimilitudinem majori præferens in iudicando. Ergo, &c. Major patet. *Prob. min.* Nam malum intellectus est error. Atqui intellectus in iudicando præferens minorem verisimilitudinem majori, non vitaret, quantum in se est, errorem in iudicando; tunc enim tantum intellectus censetur in estimatione prudenti vitare, quantum in se est, errorem in iudicando, quando in evidentibus amplectitur id quod verum est, & in obcuris id quod, omnibus maturè ponderatis, apparet ei verisimilior. Ergo, &c.

Obj. Opinio minus verisimilis, quamvis minus verisimilis, sapè nititur gravi fundamento. Ergo saltem sæpè potest intellectus prudenter assentiri opinioni minus verisimili, quantumvis opposita opinio, omnibus debite pensatis, appareat ei nixa graviori fundamento. *R. neg. conseq.* Nam ad prudens iudicium non sufficit fundamentum etiam grave, quando pro parte opposita, post diligentem veritatis inquisitionem, apparet fundamentum gravius, sive hoc fundamentum sit gravius absolute, sive sit gravius relate tantum ad cognoscentem: tunc enim ut intellectus censetur, quantum in se est, malum suum vitare, & consequenter in iudicando procedere sapienter, debet aut suspendere iudicium suum, neutram contradictionis partem veram iudicando, vel certe veram iudicare partem illam, pro qua gravius fundamentum apparet.

Dices. Fundamentum quodlibet assentiendi, hoc ipso quod grave est, dignum est assensu: alioqui simul esset grave, & non esset. Ergo intellectus as-

sentiens illi, prudenter se gerit in iudicando. *Resp. dist. ant.* Fundamentum quodlibet, &c. dignum est assensu, quandiu non apparet gravius, aut æquè grave, pro parte opposita, *Conc. ant.* Dignum est assensu, etiam cum apparet gravius pro parte opposita, *Neg. ant.* Tunc enim gravitas & dignitas ejus vincitur per gravitatem & dignitatem alterius. Porro fundamentum grave non sic dicitur, quia meretur assensum pro omni omnino casu; sed quia pro eo omni casu meretur, pro quo vis ejus non superatur, aut saltem non eliditur per aliud fundamentum in oppositum.

Dices. Fundamentum grave, hoc ipso quod grave est, facit magnam spem assequendæ veritatis. Ergo hoc ipso quod grave est, meretur assensum. *R. dist. conseq.* Ergo hoc ipso quod grave est, meretur assensum, si non concurrat cum alio graviore, & consequenter faciente majorem spem veritatis assequendæ, *Conced. conseq.* Si concurrat, *N. conf.* Tunc enim solum motivum, quod facit majorem spem assequendæ veritatis, meretur assensum: meretur enim, ut propter illud alteri assentiatur, & velut falsum repudiemus; non vicissim. Præterea, intellectus in hoc concursu assentiens motivo facienti minorem spem veritatis assequendæ, & dissentiens facienti majorem, non censetur in estimatione prudenti facere quod in se est, ad vitandum malum suum, & procurandum suum bonum, proindeque in assentiendo & dissentiendo non procederet prudenter. Motivum autem, cui non potes nisi imprudenter assentiri, non meretur assensum; & contra meretur, cui non nisi imprudenter dissentire potes.

ARTICULUS II.

Utrum intellectus possit assentiri opinioni verisimili, quando opinio opposita apparet æquè verisimilis.

RESPONSIO.

In intellectus non potest saltem prudenter assentiri opinioni verisimili, quando opposita opinio, omnibus maturè pensatis, apparet æquè verisimilis.

Prob. Non potest intellectus saltem prudenter iudicare veram esse unam partem contradictionis, & alteram esse falsam, nisi habeat sufficiens fundamentum ad attribuendam veritatem uni parti, & falsitatem alteri. Atqui intellectus in præsentii hypothese non habet tale fundamentum, cum apparentia veri, sicut & falsi, sit æqualis in utraque parte contradictionis. Ergo, &c.

Prob. iterum. Non potest intellectus saltem prudenter iudicare aliquam propositionem veram esse & non falsam, quæ non magis appareat vera quam falsa, & tam apparet falsa quam vera; sed tunc, ut prudenter se gerat, debet suspendere assensum, sicut & dissensum circa propositionem illam; non enim habet fundamentum potius assentiendi, quam dissentendi, aut potius dissentendi, quam assentiendi. Atqui in præsentii hypothese neutra pars contradictionis magis apparet vera, quam falsa, & utraque tam apparet falsa, quam vera. Ergo in præsentii hypothese intellectus neutram contradictionis partem potest saltem prudenter iudicare veram esse, & non falsam: sed ut prudenter se gerat, debet suspendere assensum, sicut & dissensum circa utramque.

Obj. 1. Quando duæ opiniones oppositæ, omnibus maturè consideratis, proponuntur intellectui ut æquè verisimiles, ita ut utraque magnam præ se ferat verisimilitudinem, & sic utraque magnam faciat spem assequendæ veritatis, adest pro utraque motivum sufficiens ad prudentem assensum. Ergo, &c. *N. ant. Prob.* Adest pro utraque motivum grave. Sed motivum grave sufficit ad prudentem assensum, præsertim si non concurrat cum alio graviore ad oppositum. Ergo, &c. *R.* Motivum grave non sufficit ad prudentem assensum, etiam si concurrat tantum cum alio

alio motivo æquè gravi ad oppositum: tunc enim motiva illa se mutuo elidunt, faciendo scilicet, ut apparentia veri & falsi sit æqualis in utraque parte contradictionis. Unde fit ut intellectus non possit, nisi imprudenter, uni parti potius quàm alteri attribuire veritatem aut falsitatem.

Dices 1. Motivum per se & intrinsecè sufficiens ad prudentem assensum, semper ad prudentem assensum sufficit. Atqui motivum grave, hoc ipso quòd grave est, est motivum per se & intrinsecè sufficiens ad prudentem assensum. Ergo, &c. *R. dist. maj.* Motivum per se & intrinsecè sufficiens ad prudentem assensum pro quocumque casu, semper sufficit ad prudentem assensum, Conc. major. Motivum per se & intrinsecè sufficiens ad prudentem assensum pro aliquibus tantum casibus, semper, &c. *N. maj.* Motivum autem grave non est motivum per se & intrinsecè sufficiens ad prudentem assensum pro quocumque casu, alioqui sufficeret etiam in contradictione alterius evidentis in oppositum; quod est manifestè falsum; sed pro aliquibus tantum casibus, pro iis scilicet, in quibus vis ejus motiva nec superatur nec eliditur per contradictionem alterius stantis pro parte opposita. Eliditur autem vis ejus motiva per contradictionem alterius motivi æquè gravis in oppositum, sicut superatur per contradictionem alterius motivi in oppositum evidentis, aut saltem gravioris sensibilibiter.

Dices. Motivum A grave non amittit gravitatem suam ex eo quòd concurrat cum motivo B æquè gravi in oppositum, & vicissim. Ergo motivum A & motivum B, etiam in concursu sufficiunt ad prudentem assensum. *Resp. neg. conseq.* Imò neutrum motivum sufficit ad prudentem assensum in concursu, quia utrumque in concursu retinet gravitatem suam. Ex eo enim, quòd utrumque motivum retinet gravitatem suam in concursu, fit, ut neutra pars contradictionis magis appareat vera, quàm falsa, & utraque tam appareat falsa, quàm vera: quantum enim motivum A suadet veritatem partis, pro qua stat, tantum illam dissuadet motivum B, & vicissim quantum motivum B suadet veritatem alterius partis, pro qua stat, tantum illam dissuadet motivum A. Ex eo igitur, quòd utrumque motivum retinet gravitatem suam in concursu, fit ut intellectus neutri parti assentiri possit saltem prudenter, nec aliud possit prudenter, quàm circa utramque assensum, sicut & dissensum, suspendere.

Obj. 2. Sint duo testes, testis A & testis B, æqualis sapientiæ & probitatis, & consequenter æqualis inter se autoritatis, quorum primus asserit factum aliquod, alter negat. Possum in hac hypothese prudenter pro arbitrio vel credere factum propter autoritatem testis A, vel discredere propter autoritatem testis B. *R. neg.* & dico, quia cum sint æqualis inter se in testificando autoritatis neutrum fide dignum esse in concursu alterius; cum non possim uni credere, quin simul & indivisibilibiter discredam alteri, & neuter propter suam autoritatem dignus sit, ut discredam alteri, quia alter æqualem habet autoritatem, neuter propter suam autoritatem dignus est ut ei credam.

Dices. Neuter suam sapientiam & bonitatem amittit in concursu alterius. Ergo uterque fide dignus est in concursu. *Resp. neg. conseq.* Imò quia uterque sapientiam & probitatem suam retinet in concursu, neuter in concursu fide dignus est: cum enim non possim uni fidem adhibere, quin simul credam alterum falli aut fallere, neuter fide dignus est, si neuter dignus est, ut propter ejus testimonium credam alterum falli aut fallere. At neuter dignus est, ut propter testimonium ejus credam alterum falli aut fallere; cum uterque in concursu totam suam sapientiam & probitatem retineant, & ita uterque in concursu sint inter se æqualis omnino autoritatis.

Dices iterum. Reverentia debita testi A, exigit ut possim factum credere propter ejus testimonium; si

Simonnet Theol. Tom. I.

militer reverentia debita testi B, exigit, ut possim propter ejus testimonium factum discredere. *R. neg.* Nam reverentia debita testi A, solum exigit, ut non discredam factum propter testimonium testis B. Similiter reverentia debita testi B, solum exigit, ut non credam factum propter testimonium testis A, & ita reverentia utrique debita, solum postulat, ut nec credam, nec discredam factum, sed circa illud dubius hæream, neque affirmando, neque negando existentiam ejus.

ARTICULUS III.

Utrum intellectus possit assentiri opinioni habenti magnam verisimilitudinem, quando opinio opposita non apparet verisimilis, aut nonnisi minus verisimilis apparet.

RESPONSIO

In intellectus potest & quidem prudenter assentiri opinioni, quæ, omnibus diligenter & absque inordinato mentis affectu consideratis, clarè & sensibilibiter magnam præferat verisimilitudinem, & majorem, quàm opposita.

Et 1. quidem, quòd possit, probatur ex unanimi consensu Philosophorum & Theologorum, qui triplicem distinguunt assensum in intellectu, scientificum scilicet, fidei divinæ, & opinativum. Assensus scientificus est ille, quo evidenter judicamus aliquid esse verum, propter motivum evidenter ostendens rei veritatem. Assensus fidei divinæ est ille, quo certò, quamvis obscurè, judicamus aliquid verum esse, propter autoritatem Dei veritatem ejus credibiliter attestantis. Assensus denique opinativus est ille, quo obscurè & cum aliqua oppositi formidine judicamus aliquid verum esse, propter apparentiam veri quam habet, seu, quod eodem redit, propter motivum obscurè & fallibiliter suadens veritatem ejus. Potest igitur intellectus, secundum omnes Philosophos & Theologos, quandoque assentiri objecto tanquam vero, propter veri speciem, quam habet. At si quando potest, certè tunc maximè, cum objectum magnam præ se fert speciem veri, & sensibilibiter majorem, quàm oppositum.

2. Quòd possit prudenter, facile probatur. Nam si assensus, quem dabit intellectus in præsentii hypothese, non est prudens, sed temerarius, talis est vel ex parte subjecti, vel ex parte objecti. Neutrum dici potest. Non primum: nam intellectus non assentietur, nisi post maturam utriusque partis considerationem. Non etiam secundum: nam intellectus non assentietur ultra meritum objecti. Assensus enim opinativus non excedit meritum objecti, magnam, post diligentem & bona fide factam veritatis inquisitionem, præferentis speciem veri, opposito aut nullam omnino, aut nonnisi sensibilibiter & notabiliter minorem verisimilitudinem habente. Certè vel tunc intellectus potest prudenter judicare objectum esse verum, vel hoc judicare prudenter non potest, nisi cum habet omnimodam certitudinem de veritate objecti. Quòd scepticum est, & adversatur communi omnium hominum sensui & usui.

Obj. Intellectus assentiens objecto tanquam vero in præsentii hypothese, exponit se periculo errandi. Ergo imprudenter agit. *R.* Intellectum assentientem objecto tanquam vero in præsentii hypothese, non exponere se morali & proximo periculo errandi, sed illud vitare quantum prudentia exigit, & quantum in se est, secundum prudentem estimationem; cum supponatur non judicare nisi post diligens veritatis examen, & in judicando sequatur magnam & notabilem verisimilitudinem, quæ cum nulla ex parte opposita, aut nonnisi sensibilibiter & notabiliter minore concurrat. Quòd si remotum aliquod errandi periculum tunc incurrit, non idcirco imprudenter se gerit, quia satius est illum tale periculum subire, quàm ferè semper hære, & veluti stipitem ma-

Bb 3 nere,

nere, suspendendo assensum & dissensum suum circa omnia ferè objecta. Quod necessariò faceret, si nunquam judicaret de veritate vel falsitate objectorum, nisi cum omnimodam de illorum veritate vel falsitate certitudinem haberet: hac enim omnimoda certitudo rara admodum est, præsertim in moralibus, sicut & in politicis.

Nota pro sequentibus articulis. De rebus ad mores pertinentibus possunt esse duæ opiniones inter se oppositæ, quarum una negat aliquid esse illicitum, seu aliqua lege, sive naturali, sive positiva, prohibitum; altera verò illicitum, seu lege aliqua prohibitum esse affirmat. Prima dicitur opinio minus tuta, quia in ea sequenda potest esse periculum aliquod transgrediendi legem aliquam: secunda verò dicitur tutior, quia in ea sequenda nullius legis violandæ periculum incurrit. Exemplum habemus in triplici contractu, circa quem sunt duæ sententiæ inter se oppositæ, quarum prima affirmat contractum illum esse lege naturali prohibitum, tanquam usurarium; altera negat. Prima tutior est, quia in ea sequenda nullum est periculum violandæ legis naturalis. Secunda est minus tuta, quia in ea sequenda potest esse periculum transgrediendi legem naturalem. His præsuppositis, sit

ARTICULUS IV.

Utrum usus opinionis minus tuta licitus sit ei, cui opinio opposita & magis tuta, apparet verisimilior.

RESPONSIO.

Usus opinionis minus tuta, quamvis appareat multum verisimilis secundum se & absolute, illicitus est ei, cui opinio opposita & tutior, omnibus maturè ponderatis, apparet clarè & sensibilibiter verisimilior.

Prob. Operans secundum opinionem minus tutam in facta hypothesi, peccat. Ergo, &c. *Prob. ant.* Ille peccat, qui operatur sine prudenti persuasione de bonitate operationis suæ. Sed qui operatur secundum opinionem minus tutam in facta hypothesi, operatur sine prudenti persuasione de bonitate operationis suæ. Ergo, &c. *Prob. min.* Operatur sine prudenti persuasione de bonitate operationis suæ, qui aut omnino non potest, aut non nisi imprudenter potest judicare, quod non existat, & è contra prudenter potest judicare, quod existat præceptum prohibens operationem, quam exercet. Atqui operans secundum opinionem minus tutam in facta hypothesi, non potest ad summum nisi imprudenter judicare, quod non existat præceptum, prohibens operationem, quam exercet. Atqui operans secundum opinionem minus tutam, quam sequitur, & quæ negat præceptum illud existere (ex art. 1.) è contra verò potest prudenter judicare, quod existat præceptum, prohibens operationem quam exercet; potest enim prudenter judicare veram esse opinionem magis tutam, quam relinquit, & quæ præceptum illud existere affirmat (ex art. 3.) Ergo, &c.

Obj. 1. Sententia nostra imponit hominibus onus gravissimum & intolerabile. Neg. *Prob.* Imponit hominibus obligationem sequendi in omnibus opinionem tutiorem, quando in se & absolute verisimilior est, & consequenter quarendi semper, antequam operentur, utrum opinio tutior sit in se, & absolute verisimilior, an non. Atqui hoc est imponere hominibus onus gravissimum & intolerabile. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam opinio in se & absolute verisimilior, est ea, quæ talis est per sua momenta intrinseca, ut illis ritè examinatis & penetratis, tanquam vera communiter approbaretur à sapientibus. Atqui obligatio quarendi semper, utrum opinio tutior talis sit, an non, per sua momenta intrinseca, &c. est obligatio gravissima & intolerabilis: vires enim humanas saltem communiter excedit, certò investigare

in moralibus, quibus rationibus, ritè examinatis & penetratis, convincerentur, aut non convincerentur communiter sapientes: cum in moralibus tam diversa sint hominum etiam sapientum judicia, & passim quod ab uno approbatur tanquam verisimilior, ab alio velut minus verisimile reprobetur, ut certa docet experientia. Ergo, &c.

Resp. neg. maj. Nam solum imponimus hominibus obligationem sequendi opinionem tutiorem, quando apparet illis verisimilior, sive secundum se & absolute verisimilior sit, sive non; illisque similiter permitimus, ut, relicta tutiore, sequantur minus tutam, quando post debitam veritatis inquisitionem appareat illis verisimilior tutiore, sive sit absolute & secundum se verisimilior, sive non sit. Solum itaque volumus neminem exequi licetè rem, de qua dubitat, sine licita, an non, nisi prius diligenter inquirat, num re ipsa sit prohibita, an non, & post diligentem veritatis inquisitionem appareat illi clarè & sensibilibiter verisimilior, quod non sit prohibita, sicque maturè & prudenter judicet non esse prohibitam: ita ut si, facta diligenti veritatis inquisitione, appareat illi verisimilior, quod res prohibita sit, aut non magis appareat verisimile, quod non sit prohibita, quam quod sit, non possit rem illam licetè exequi; quia tunc non potest illam exequi cum prudenti judicio, quod sit licita: cum non possit illam exequi cum prudenti judicio, quod non sit prohibita.

Porro hæc doctrina non imponit hominibus onus intolerabile, nec illos obligat ad impossibile, sed solum, ut, quantum moraliter possunt, ad veritatem peritanti in omnibus, & in omnibus, quantum moraliter possunt, veritate duce, procedant, ut hac ratione, quantum possunt moraliter, semper insistant viis justitiæ, & voluntati divinæ, quæ est suprema morum regula, semper sese conforment. Quod sanè præstare non possunt secundum prudentem estimationem, nisi adhibita constanter morali diligentia ad veritatem in omnibus investigandam, semper & constanter in obscuris amplectantur id, quod sibi sine ulla sua culpa videbitur clarè & sensibilibiter majorem veri speciem præferre, quodque proinde maturè, prudenter & inculpabiliter judicabunt esse verum.

Obj. 2. Sententia nostra repugnat verbis illis Christi Matth. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* *Resp. neg.* Nam lex evangelica dicitur à Christo jugum suave & onus leve, non quia possumus impunè transgredi ejus præcepta, quandiu verisimile est illa non existere, licet illa existere verisimilior sit; sed quia, 1. lex evangelica est lex charitatis & amoris, & amor id, quod aliunde grave & amarum est, gratum ac leve efficit, ut docet experientia. 2. Quia in lege evangelica nobis majora & frequentiora gratiæ auxilia suppeditantur, quibuscumque facilius mandata divina implere possumus, quam poterant homines in lege Mosaica, in qua gratiæ non tam abundantes erant. 3. Quia lex evangelica, præter præcepta moralia, ad quorum observationem homines semper obligati fuerunt, pauca alia positiva, à Christo lata, nec omnes Christianos generaliter obligantia, continet; cum è contra lex Mosaica innumerorum penè præceptorum Judæis imposuerit onus, quod vix ac ne vix quidem portare poterunt, ut testatur Petrus, Act. cap. 15.

Obj. 3. Sententia nostra injuriosa est summis Pontificibus: nam multis in casibus, secuti sunt opinionem minus tutam, licet minus verisimilem: multoties enim dispensarunt in casibus, in quibus minus erat verisimile summum etiam Pontificem posse dispensare. R. neg. *obj. Ad prob. R.* Ad summum Pontificem in concedendis dispensationibus aliquando à communiori tunc temporis sententia discessisse; sed addo non discessisse, nisi quia post sufficientem adhibitam in indaganda veritate diligentiam, opposita sententia apparuit illis clarè & sensibilibiter verisimilior, imò & fortassis unice vera per momenta intrinseca. Qui autem aliter sentiunt de summis Pontificibus, gravem illis injuriam faciunt, cum ajunt illos

illos opinionem minus tutam & minus verisimilem secutos esse in iis casibus, in quibus usus talis opinionis vergere poterat in grave damnum animarum.

Obj. 4. Sententia nostra repugnat regulæ juris, quæ dicit: *Semper in dubiis benigniora preferenda sunt.* R. neg. Imò è contra omnino consonat. Nam hæc regula loquitur de dubiis facti, & de iis casibus, in quibus agitur de pœna infligenda. In ejusmodi autem dubiis & casibus semper benignior pars est eligenda; quia, ut dicit regula 11. Juris in 6. *Cum sunt partium iura obscura*, propter æquales hinc inde probationes allegatas, ut explicat glossa, *reo favendum est potius, quam actori*; & tunc reo favendum est potius quam actori, quia, ut ait Juris axiomata, in dubiis tutior pars est eligenda, & in dubio favere reo potius, quam actori, tutius est. Nam in dubio favens actori, exponit se periculo condemnandi innocentem, quod intrinsecè malum est: verum favens reo, exponit se tantum periculo absolvendi nocentem, quod non est intrinsecè malum. Hæc igitur regula: *Semper in dubiis benigniora preferenda sunt*, fundatur in hoc axiomate: In dubiis tutior pars semper est eligenda. At si in dubiis, ac proinde quando in utraque contradictionis parte æqualis est verisimilitudo, tutior pars eligenda est, quantum magis eligenda est, quando pars tutior majorem habet verisimilitudinem?

Obj. 5. Sententia nostra adversatur Legi Benignitatis de Legibus, in qua dicitur: *Benignius leges interpretanda sunt, quo voluntas earum conservetur.* R. neg. Nam sensus illius est, quod, si dubium occurrat de iustitia legis pro aliquo casu particulari, & omnibus mature ponderatis, verisimilius appareat legem fore iustam, si casum illum particularem comprehendat, iudex tunc possit & debeat partem benignam amplecti, legem explicando, ne scilicet innocentem iniustum onus imponat, quod esset intrinsecè malum. Ex quo habemus in dubio iustitiæ legis partem tutiorem simul & verisimiliorem tenendam esse. Ergo similiter in dubio existentia legis pars tutior simul & verisimilior tenenda est.

Obj. 6. In facta hypothesi operans secundum opinionem minus tutam, & re ipsa falsam, ignorat invincibiliter legem, qua prohibetur ejus operatio. Ergo non peccat, sed licetè operatur. *Resp. neg. ant.* Non enim potest dici legem ignorare invincibiliter, qui potest prudenter judicare illam existere, & illam non existere aut omnino non potest, aut non potest nisi imprudenter judicare. At in præsentī hypothesi, in qua operanti, omnibus mature ponderatis, clarè & sensibilibus verisimilibus apparet legem existere, potest operans prudenter judicare legem existere & non existere non potest ad summum nisi imprudenter judicare. Ergo operans in præsentī hypothesi secundum opinionem minus tutam, non ignorat invincibiliter legem, contra quam operatur, sed aut omnino non ignorat, aut nonnisi vincibiliter & culpabiliter ignorat: cum habeat proximam & expeditam potentiam ad determinatè & prudenter judicandam existentiam illius, & consequenter non solum possit, sed etiam debeat existentiam illius determinatè judicare. Unde quod dicitur, operantem in facta hypothesi suspendendo, ut potest, actum, quo determinatè judicat legem existere, habiturum ignorantiam, non quidem invincibilem, sed probabilem legis, & hac ratione excusatum iri à culpa sequendo opinionem minus tutam, tam ridiculum est & falsum, quam commodum.

Obj. 7. Operans in hypothesi facta secundum opinionem minus tutam, & contra legem etiam naturalem, excusatur à culpa per non sufficientem legis propositionem. *Resp. neg.* Nam lex naturalis ceteri debet sufficienter proposita illi, qui, omnibus mature perpensis, potest prudenter & determinatè judicare legem illam existere, & è contra aut omnino non potest, aut nonnisi imprudenter judicare potest illam non existere.

Dices 1. Lex naturalis ceteri non potest sufficienter Simonæ Theol. Tom. I.

ter proposita ei, cui verisimile est illam non existere. R. Hoc esse falsum, quando eidem simul verisimilius est illam existere, ut contingit operanti in hypothesi facta secundum opinionem minus tutam. Et verò ad sufficientem legis naturalis propositionem vel factis est, ut, veritate diligenter indagata, verisimilius appareat illam existere, vel requiritur ut certum sit illam existere. Non secundum. Ergo primum. *Prob. min.* Nam 1. cum lex naturalis non obliget, nisi post sufficientem propositionem, sequeretur nunquam legem naturalem obligare, nisi cum certum & evidens est illam existere. Quod est intolerabiliter laxum. Item sequeretur licitum esse usum opinionis minus tutæ, quando retinet aliquid verisimilitudinis: tandiu enim opinio tutior, & legem affirmans, & consequenter existentia legis non est certa & evidens, & ita tandiu lex non est sufficienter proposita, si ad sufficientem illius propositionem certitudo & evidentia requiritur. Quod autem licitus sit usus opinionis minus tutæ, quando retinet aliquid verisimilitudinis, meritò damnatum est ab Innocentio II. 2. Lex naturalis quoad maximam sui partem lata esset à Deo inutiliter; quia, ut manifestum est ex diffidiis Doctorum circa innumeros penè casus, lex naturalis quoad maximam sui partem non potest cognosci nisi verisimiliter, & ita non potest quoad maximam sui partem sufficienter proponi, nec proinde obligare, si ad sufficientem propositionem requiritur certitudo & evidentia.

Dices 2. Supponitur opinionem minus tutam niti autoritate multorum piorum ac doctorum virorum, & consequenter existentiam legis negari à multis piis ac doctis viris. Atqui lex non est sufficienter proposita, hoc ipso quod à multis piis ac doctis viris negatur existere. Ergo, &c. *Ref. neg. min.* Nam si verum esset, quod lex naturalis non sit sufficienter proposita respectu omnium, hoc ipso quod à multis piis ac doctis viris negatur existere, posset quilibet impunè transgredi legem, quam ob majorem verisimilitudinem positivè & prudenter judicaret existere. Tandiu enim lex impunè violatur, quando non obligat; & tandiu non obligat, quando non est sufficienter proposita. Consequens est manifestè absurdum. Ergo, &c. Item hoc ipso quod quis sciret in aliquo puncto Doctores inter se dissidere circa legis naturalis existentiam, posset sine ulteriori examine in operando sequi licitè opinionem minus tutam, & existentia legis adversantem: hoc ipso enim sciret vel re ipsa non esse legem, vel certè non obligare defectu sufficientis propositionis. Consequens sanæ doctrinæ repugnat. Sed ad plenam præsentis difficultatis solutionem,

Dico 1. Legem naturalem non esse sufficienter propositam respectu multorum piorum ac doctorum virorum illorum, quorum autoritate niti supponitur opinio minus tuta; quia, ut suppono, post maturam veritatis inquisitionem, opinio negans legis existentiam apparet eis verisimilior, & idcirco positivè & prudenter judicant legem non existere. 2. Legem illam naturalem similiter non esse propositam sufficienter respectu aliorum, in quorum mente opinio minus tuta eundem statum habet, quem habet in mente doctorum illorum, qui hanc opinionem ut veram defendunt, hoc est, respectu aliorum, quibus, postquam omnia mature considerant, propter doctorum illorum autoritatem & rationes, vel alias à se inventas, opinio minus tuta apparet quoque verisimilior, & idcirco veram esse, & consequenter legem non existere, positivè & prudenter judicant. 3. At legem esse sufficienter propositam respectu aliorum omnium, quibus post debitum veritatis examen, quod nunquam nisi culpabiliter prætermitti potest, opinio tutior & legem affirmans apparet verisimilior, quique proinde possunt positivè & prudenter judicare legem existere, & aut omnino non possunt, aut non possunt nisi imprudenter judicare illam non existere. Sed contra hanc doctrinam

Dices. Lex est communis omnibus. Ergo vel omnes, vel nullum obligat. *Resp.* Lex, quamvis sit pro omnibus lata, non tamen debet obligare omnes, nisi omnibus sufficienter proponatur. Unde si non omnibus, sed aliquibus tantum proponitur sufficienter, quia non omnibus, etiam post debitam veritatis inquisitionem, sed aliquibus tantum opinio affirmans legem apparet verisimilior, & ita non omnes, sed aliqui tantum possunt & debent positivè judicare legem existere, lex non omnes, sed illos aliquos tantum debet obligare, & obligat, nec aliud postulat recta ratio, aut bonum communitaris.

Obj. 8. Operans in casu proposito secundum opinionem minus tutam, & contra legem, est in possessione libertatis suae. Ergo excusatur à peccato. Ad solutionem duplex hic potest & debet distinguere libertas, scilicet libertas facti, & libertas juris. Libertas facti est potentia physica operandi vel non operandi pro arbitrio secundum opinionem minus tutam, & contra legem, ad quam libertatem sufficit immunitas ab antecedenti ad unum determinatione. Libertas juris est facultas licitè & impunè operandi secundum opinionem minus tutam, & contra legem. Ad hanc autem libertatem tria requiruntur. 1. Ut operans, antequam operetur, diligenter inquirat veritatem. 2. Ut per hanc inquisitionem invenerit momenta sibi verisimiliora pro non existentia, quam pro existentia legis. 3. Ut vi momentorum illorum formet firmum & determinatum judicium, quo positivè judicet operationem hic & nunc exercendam, non esse lege prohibitam; hac enim solum ratione habere potest judicium practice practicum prudens & certum de bonitate operationis hic & nunc exercendae. His autem praesuppositis,

Ad obj. Resp. Operantem secundum opinionem minus tutam & contra legem in casu proposito, habere quidem libertatem facti; unde peccare convincitur, operando secundum opinionem minus tutam, & contra legem, nisi aliunde excusetur: at non habere libertatem juris; cum in casu proposito non opinio minus tuta & negans legem, sed opinio tutior & legem affirmans, appareat illi verisimilior, omnibus maturè consideratis.

Dices. Operans non potest privari libertate juris circa operationem aliquam, nisi per certam existentiam legis, operationem illam prohibentis. Atqui existentia legis non est certa, quandiu opinio illam negans apparet multum verisimilis, & nixa fundamento secundum se & absolute gravi, quale est illud omne, quod vim habet multos sapientes ad assensum permovendi. Talis autem est in casu proposito opinio minus tuta, & negans legem. Ergo in casu proposito operans liber est libertate juris ad operandum secundum opinionem minus tutam, & contra legem.

Resp. Neg. maj. Nam hoc ipso operans privatur libertate juris circa operationem aliquam, quod dubium est, utrum existat, an non, lex prohibens operationem illam; hoc ipso enim dubium est, utrum operatio illa sit mala, an non, & consequenter hoc ipso operans privatur facultate operationem illam licitè & impunè exercendi. Nam certum est operantem peccare, si operatur dubius & incertus, utrum operatio quam exercet, mala sit, an non. A fortiori operans hoc ipso privatur libertate juris circa operationem aliquam, quod, omnibus maturè perpensis, illi verisimilior est, quod existat lex prohibens operationem illam; hoc ipso enim illi verisimilior est, quod operatio illa sit mala. Plus autem est, verisimilior esse, quod operatio sit mala, quam praecise dubium esse, utrum mala sit, an non; & consequenter si operans privatur libertate juris in dubio existentiae legis, à fortiori privatur in majori illius verisimilitudine.

At inquit. In dubiis melior est conditio possidentis. *Resp.* Hoc axioma non habere locum, nisi in materia iustitiae, quando duo vel plures inter se de

dominio alicujus rei litigantes, aequales allegant rationes, praescindendo à continuata possessione: tunc enim continuata possessio & certa facit, ut jus possidentis sit melioris conditionis. Quod certe non juvat causam adversariorum. Et verò in dubio existentiae legis operationem aliquam prohibentis, vel nulla est possessio libertatis juris circa operationem illam, vel certe non est, nisi dubia. Possessio autem libertatis juris dubia operantem excusare non potest à peccato; peccat enim, qui operatur dubius & incertus, utrum operationem, quam exercet, possit licitè & impunè exercere, an non.

Obj. 9. Potest operans in facta hypothese habere judicium practice practicum, quo certò & evidenter judicet, sibi licitum esse hic & nunc usum opinionis minus tuta. *R. neg.* Nam cum operationem, hic & nunc exercendam secundum opinionem minus tutam, licitam esse, & non esse lege prohibitam, sint unum & idem, non potest operans certò & evidenter judicare, operationem hic & nunc exercendam secundum opinionem minus tutam, sibi licitam esse, si non potest certò & evidenter judicare, operationem hic & nunc exercendam secundum opinionem minus tutam, non esse lege prohibitam. Atqui hoc non potest operans in facta hypothese, in qua post maturam veritatis investigationem, certò & evidenter judicat, verisimilior esse, quod existat lex prohibens operationem hic & nunc exercendam secundum opinionem minus tutam. Manifestè enim repugnat, quod intellectus certò & evidenter judicet, verisimilior esse, quod existat lex prohibens operationem, & simul certò ac evidenter judicet, non existere legem prohibentem operationem. Ergo, &c.

Obj. 10. Operans in facta hypothese secundum opinionem minus tutam, operatur secundum opinionem probabilem. Sed qui operatur secundum opinionem probabilem, licitè operatur. Ergo, &c.

Prob. maj. Operatur, ut supponitur, secundum opinionem, quam defendunt multi pii ac docti viri, & quae proinde nititur fundamento etiam secundum se & absolute gravi. Ergo operatur secundum opinionem verè probabilem. *Resp. neg. maj. Ad prob. R. neg. conseq.* Quia opinio etiam multum verisimilis, & nixa fundamento secundum se & absolute gravi, ut apparet ex eo, quod à multis piis & doctis viris defendatur, non est probabilis, sed verè improbabilis respectu operantis, cui, omnibus ritè ponderatis, opposita apparet ut verisimilior, aut saltem ut aequè verisimilis, quia tunc operans, aut omnino non potest, aut ad summum non potest nisi imprudenter assensu illam approbare ut veram. Unde tunc sola opposita tutior verè probabilis est respectu operantis, quia sola ut vera prudenter approbatur potest ab operante.

At inquit. Opinio minus tuta verè probabilis est respectu multorum illorum piorum ac doctorum virorum, à quibus defenditur. Ergo & respectu operantis in facta hypothese. *Resp. neg. conseq.* Nam est verè probabilis respectu piorum & doctorum illorum, quia potest ab illis prudenter approbatur ut vera: potest autem, quia omnibus maturè penlatis, apparet illis clarè & sensibilibiter verisimilior, opposita tutiori nisi enim talis appareret illis, non eam ut veram defenderent, rejecta opposita tutiore; cum, ut supponitur, sint pietate & sapientia praediti. Propter eandem rationem eadem opinio verè probabilis est respectu aliorum omnium, in quorum mente eundem habet statum, quem habet in mente piorum illorum & doctorum virorum. At respectu eorum, in quorum mente non praefert verisimilitudinem clarè & sensibilibiter majorem, qualis est operans secundum eam in casu proposito, est verè improbabilis, quia ab eis non ut vera prudenter approbatur, sed e contra ut falsa prudenter improbari potest.

ARTICULUS V.

Utrum liceat sequi opinionem minus tutam in concursu tutioris opposita, quæ apparet æquæ verisimilis.

RESPONSIO.

Non licet tunc sequi opinionem minus tutam, quamvis, omnibus maturè ponderatis, appareat nixa fundamento absolute & secundum se gravi.

Prob. 1. Peccat, qui operatur in dubio practico, hoc est, dubius & incertus, utrum operatio, quam hic & nunc exercet, sit licita, an illicita. Sed qui operatur secundum opinionem minus tutam in casu proposito, operatur dubius & incertus, utrum operatio, quam hic & nunc exercet, sit licita, an illicita. Ergo peccat. Major patet ex dictis art. 3. disp. 6. *Prob. min.* Operatur dubius & incertus, utrum operatio, quam hic & nunc exercet, licita sit, an licita, qui operatur dubius, utrum existat, an non, lex prohibens operationem, quam hic & nunc exercet. Sed operans secundum opinionem minus tutam in casu proposito, dubius est, utrum existat, an non, lex prohibens operationem, quam hic & nunc exercet. Ergo, &c. Major est certa; cum operationem, quæ hic & nunc exercetur, esse illicitam, aut non esse illicitam, & existere aut non existere legem prohibentem operationem, quæ & nunc exercetur, sint unum, & idem, vel saltem connexa sint, & inter se convertantur.

Prob. ergo min. Ille dubius est, utrum existat, an non existat lex prohibens operationem, qui necessario suspensus hæret inter opinionem negantem, & opinionem affirmantem existentiam legis prohibentis operationem. Atqui intellectus operantis secundum opinionem minus tutam in casu proposito, necessario suspensus hæret inter opinionem negantem, & opinionem affirmantem existentiam legis prohibentis operationem. Ergo, &c. Major patet ex terminis. *Prob. min.* Tunc intellectus necessario suspensus hæret inter opinionem negantem & opinionem affirmantem existentiam legis, quando neutram veram, neutram falsam positive judicare potest, etiam accedente imperio voluntatis, ut patet ex terminis. Atqui in casu proposito intellectus operantis secundum opinionem minus tutam, neutram opinionem veram, neutram falsam judicare potest, etiam accedente imperio voluntatis. Ergo, &c. *Prob. min.* Tunc intellectus neutram opinionem veram, neutram falsam judicare potest, etiam ex voluntatis imperio, quando non habet ex parte sui motivum sufficiens ad judicandam unam veram & alteram falsam, ad potius judicandam unam veram aut falsam, quam alteram. Imperium enim voluntatis, applicantis intellectum ad judicandam veritatem aut falsitatem alicujus objecti, necessario præsupponit ex parte intellectus motivum ad id judicandum sufficiens; ut facile agnoscunt omnes. Atqui in casu proposito intellectus operantis secundum opinionem minus tutam, non habet ex parte sui motivum sufficiens ad judicandam unam opinionem veram & alteram falsam, ad potius judicandam unam veram aut falsam, quam alteram. Nam in casu proposito, operanti secundum opinionem minus tutam, neutra opinio magis apparet vera quam falsa, aut falsa quam vera; neutra magis apparet vera aut falsa, quam altera; cum utraque supponatur operanti secundum opinionem minus tutam apparere æquæ verisimilis. Ergo,

Dices. Opinio minus tuta in casu proposito supponitur nixa fundamento, etiam absolute & secundum se, gravi. Sed tale fundamentum est motivum sufficiens ad hoc ut intellectus, accedente voluntatis imperio, positive judicet veram esse opinionem minus tutam in casu proposito. Ergo, &c. *R. neg. min.* Nam in casu proposito supponitur etiam opinio tutior nixa fundamento, quod operanti apparet habere æqualem verisimilitudinem. Unde respectu operantis in casu proposito, quantum fundamentum

opinionis minus tute suadet illam esse veram, tantum idem dissuadet fundamentum opinionis tutioris, & vicissim; vel, si vis, quantum fundamentum opinionis minus tute ostendit illam esse veram, tantum illam esse falsam ostendit fundamentum opinionis tutioris, & vicissim. Hinc fit, ut fundamenta illa se mutuo elidant, & impediant, nec aliud præstare possint, quam intellectum necessario inter utramque partem contradictionis suspensum tenere in casu proposito.

At inquit. Multi pii ac docti viri opinionem minus tutam positive judicant veram propter fundamentum illud, quo nititur: unde arguitur fundamentum illud esse absolute & secundum se grave. *R.* pios illos ac doctos viros opinionem minus tutam positive judicare veram, non in præsentia, sed in in alia hypothese, in qua scilicet fundamentum illud, quo nititur opinio minus tuta, omnibus diligenter consideratis, præponderat in illorum mente momenti, quibus nititur opinio tutior, verisimilitudinem scilicet præ se ferendo clarè & sensibilibiter majorem. Hæc igitur ratio, à nobis exposita, convincit: dato tamen, quod operans in casu proposito secundum opinionem minus tutam, possit illam utcumque judicare veram.

Prob. 2. resp. Peccat qui operatur sine prudenti persuasione, quod operetur licite. Sed operans in casu proposito secundum opinionem minus tutam, operatur sine prudenti persuasione, quod operetur licite. Ergo peccat. *Prob. min.* Operatur sine prudenti persuasione, quod operetur licite, qui operatur sine prudenti persuasione de non existentia legis prohibentis operationem ejus. Eatenus enim aliquis sibi prudenter persuadere potest, operationem, quam hic & nunc exercet, non illicitam esse, quatenus sibi potest prudenter persuadere, operationem illam non esse lege aliqua prohibitam; quia, ut jam dictum est non semel, operationem aliquam non esse licitam, & esse lege prohibitam, sicut esse licitam, & non esse lege prohibitam, sunt unum & idem, vel saltem convertuntur inter se. Atqui operans secundum opinionem minus tutam in casu proposito, operatur sine prudenti persuasionem de non existentia legis prohibentis operationem ejus. Hanc enim persuasionem habere non potest, nisi prudenter & firmiter veram esse judicet opinionem minus tutam, quæ negat existentiam legis prohibentis operationem. Hoc autem non potest, (ex art. 2.) Ergo, &c.

Prob. 3. resp. Peccat, qui operatur sine morali certitudine, quod operatio sua non sit mala. Atqui operans secundum opinionem minus tutam in facta hypothese, operatur sine morali certitudine, quod operatio sua non sit mala. Ergo, &c. Major patet. Nam qui sic operatur, non vitat in operando malum quantum in se est secundum prudentem estimationem, & libens ac volens exponit se morali & proximo periculo peccandi. *Prob. min.* Operatur sine morali certitudine, quod operatio sua non sit mala, qui operatur sine morali certitudine, quod non sit lege prohibita. Atqui operans in facta hypothese secundum opinionem minus tutam, operatur sine morali certitudine, quod operatio sua non sit lege prohibita. Ergo, &c. *Prob. min.* Operatur sine morali certitudine, quod operatio sua non sit lege prohibita, qui aut omnino non potest judicare, non existere legem, qua prohibetur operatio; aut saltem non potest hoc judicare sine magna & notabili formidine oppositi, quæ proinde non nisi imprudenter contemni potest. Atqui operans secundum opinionem minus tutam in facta hypothese, aut omnino non potest, aut saltem non potest sine magna & notabili formidine oppositi, judicare non existentiam legis operationem prohibentis; nam aut omnino non potest, aut saltem non potest sine magna & notabili formidine oppositi judicare veram esse opinionem illam, quam in operando sequitur, & quæ negat existere legem prohibentem operationem:

nem: cum opposita tutior, & legem affirmans, notabilem & æqualem, omnibus debet ponderatis, præ se ferat veri speciem. Ergo, &c.

Obj. 1. Qui operatur secundum opinionem minus tutam in facta hypothese, operatur contra legem invincibiliter ignoratam: lex enim, quæ omnibus maturè ponderatis, non potest prudenter judicari existere, censeri debet invincibiliter & inculpabiliter ignorari: aut saltem operatur contra legem non propositam sufficienter, proindeque nec obligantem. Ergo non peccat. *R. neg. conseq.* Itaque peccat, quia operatur cum dubio practico, aut saltem sine prudenti persuasione, quoddam operatio sua non sit illicita, & lege prohibita; vel, si vis, quia operatur sine morali certitudine, quoddam operatio sua non sit mala & peccaminosa, sicque exponit se morali & proximo periculo peccandi, & transgrediendi legem aliquam. Unde operatio ejus habet malitiam oppositam legi illi, quia interpretative vult, operando, malitiam legi illi oppositam.

Obj. 2. Qui operatur secundum opinionem minus tutam in facta hypothese, est in possessione & quidem certa libertatis, non solum physicæ, sed etiam juris. Ergo non peccat, sequendo opinionem minus tutam. *R. neg. ant.* Cum enim libertas juris circa opinionem minus tutam sit facultas licitè & impunè agendi vel non agendi secundum opinionem minus tutam, non est certa libertas juris circa opinionem illam, si non est certa facultas licitè & impunè secundum opinionem illam agendi vel non agendi pro arbitrio, & consequenter si operans non habet moralem certitudinem de veritate opinionis illius: nam sine morali certitudine de veritate opinionis minus tutæ operans nec habet nec habere potest certam facultatem licitè & impunè agendi secundum illam, quia nec habet nec habere potest moralem certitudinem de non existentia legis prohibentis operationem.

Itaque cum operans in facta hypothese secundum opinionem minus tutam, dubius sit utrum hæc opinio sit vera, an non, dubius est, utrum existat, an non, lex prohibens operari secundum hanc opinionem, & ita dubius est, utrum possit, an non, licitè & impunè operari secundum hanc opinionem, proindeque non habet ad summum, nisi dubiam & incertam libertatem juris circa hanc opinionem. Dixi, ad summum: nam revera nullam habet: non enim liber est libertate juris circa opinionem aliquam, qui non potest operari secundum illam, nisi cum dubio practico, aut saltem nisi cum imprudenti persuasione, quoddam non sit malum secundum illam operari; aut denique sine magna & notabili formidine, ne lex existat, secundum illam operari prohibens. Non potest igitur operans in hypothese æqualis verisimilitudinis pro utraque parte contradictionis vitare peccatum, nisi sequendo opinionem magis tutam, rejecta minus tuta, juxta hanc regulam, *In dubiis tutior pars semper est eligenda.*

ARTICULUS VI.

Utrum liceat sequi in operando opinionem minus tutam, quando apparet verisimilior, quam opposita magis tuta.

RESPONSIO.

Licet in operando sequi opinionem minus tutam, si vera sit, si vera falsa, quando, post debitam veritatis inquisitionem, clarè & sensibiliter apparet nixa fundamento gravi, & notabiliter præponderante momentis oppositæ sententiæ tutioris, quamvis hæc momenta supponantur esse secundum se & absolute gravia. Quod apparet ex eo, quoddam multi pii ac docti viri defendant hanc sententiam.

Prob. Licitè potest operari secundum opinionem minus tutam, si vera sit, si vera falsa, qui potest operari secundum illam cum firma & prudenti persuasione, quoddam operatio sit licita; nam qui operatur

cum firma & prudenti persuasione, quoddam operatio sit licita, operatur cum morali certitudine de rectitudine operationis. Moralem autem certitudinem de rectitudine operationis ad licitè operandum sufficientissimam esse, tenent Doctores omnes, paucis exceptis, qui ad licitum opinionis minus tutæ usum requirunt judicium simpliciter evidens, & omnimodam de rectitudine operationis certitudinem; quorum sententia ab Alexandro VIII. damnata est in hac propositione: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Atqui in præsentī hypothese quilibet potest operari secundum opinionem minus tutam, cum firma & prudenti persuasione, quoddam operatio sit licita. Ergo, &c.

Prob. min. Potest enim quilibet in præsentī hypothese operari secundum opinionem minus tutam cum firma & prudenti persuasione quoddam operatio non sit lege prohibita. Ergo & cum firma & prudenti persuasione, quoddam operatio sit licita. Conseq. patet. *Prob. ant.* Potest quilibet in præsentī hypothese operari secundum opinionem minus tutam, cum firmo & prudenti judicio, quoddam hæc opinio sit vera; & quoddam verè neget legem existere, quia operatio prohibetur. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam re ipsa prudenter & firmiter judicare potest quilibet opinionem hanc veram esse, & verè negare existentiam legis operationem prohibentis. Et 1. quidem quoddam possit prudenter, patet ex dictis articulis. 2. Quoddam possit etiam firmiter, facile ostenditur. Nam ille potest firmiter assentiri alicui opinioni, qui potest ei assentiri sine dubitatione, hæsitazione, & anxietate circa veritatem ejus; aut si quam circa veritatem ejus anxietatem experitur, potest illam ut scrupulum contemnere. Atqui operans potest sic assentiri opinioni minus tutæ in præsentī hypothese, in qua scilicet relatè ad operantem opinio minus tuta, omnibus maturè ponderatis, clarè & sensibiliter præ se fert apparentiam veri secundum se magnam ac notabilem, & notabiliter majorem, quam tutior opposita, quæ proinde in contradictione illius non habet relatè ad operantem nisi exiguum veri apparentiam, quæ prudenter contemni potest ab operante: cum exiguum præ majore notabiliter in eodem genere merito contemnatur. Ergo, &c.

Obj. 1. Operans secundum opinionem minus tutam in præsentī hypothese, contemnit legem Dei. Ergo peccat. *R. neg. ant.* Non enim contemnit legem Dei, operando contra illam, qui non operatur contra illam, nisi quia prudenter & firmiter judicat illam non existere. Nec aliud à nobis postulat reverentia supremi legislatoris, quam ut nunquam operemur sine firma & prudenti persuasione, quoddam operatio hic & nunc exercenda, non sit ab eo prohibita, & quoddam proinde possit hic & nunc à nobis licitè exerceri.

Obj. 2. Qui operatur secundum opinionem minus tutam in præsentī hypothese, exponit se periculo transgrediendi legem Dei, operationem illam prohibentis. Ergo peccat. *R. neg. ant.* Nam immerito censeretur se exponere periculo violandæ legis, qui antequam operetur, diligenter inquirat veritatem, utrum scilicet operatio exercenda aliqua lege prohibeatur, an non; nec post diligentem veritatis inquisitionem operatur secundum opinionem minus tutam, nisi quia potest secundum illam operari cum firma & prudenti persuasione, quoddam operatio, quam hic & nunc exercet, non sit aliqua lege prohibita. Talis enim in operando, peccatum vitat, quantum in se est, secundum prudentem estimationem.

Obj. 3. Peccat, qui operatur sine morali certitudine de rectitudine operationis suæ. Sed operans in facta hypothese secundum opinionem minus tutam, operatur sine morali certitudine de rectitudine operationis suæ. Ergo, &c. *R. Conced. maj. Neg. min.* Habet enim operans in facta hypothese secundum opinionem minus tutam, firmam & prudentem

dentem persuasionem de bonitate operationis suae. Quae persuasio est formalis certitudo, intellectum formaliter asserens, quantum oportet secundum prudentem estimationem, ad licitè & impunè operandum secundum opinionem negantem legis operationem prohibentis existentiam.

Prob. tamen min. In facta hypothese opinio tutior, assimans legem prohibentem existere, habet aliquam verisimilitudinem relatè ad operantem, imò & ut supponitur, absolutè & secundum se magnam. Ergo operans in facta hypothese secundum opinionem minus tutam, & contra tutiorem, nec habet, nec habere potest moralem certitudinem de rectitudine operationis suae. *R. neg. conseq.* Nam ex ant. sequitur tantum, quòd operans secundum opinionem minus tutam in facta hypothese, nec habeat, nec habere possit metaphysicam, aut etiam physicam certitudinem de rectitudine operationis; at potest habere, & habet moralem; ad eam enim sufficit verisimilitudo in opinione minus tuta, post diligentem veritatis inquisitionem, non solum notabilis, sed etiam verisimilitudine partis oppositae notabiliter major relatè ad operantem. Nam talis verisimilitudo in opinione minus tuta est vera relatè ad operantem certitudo moralis obiectiva, proindeque planè sufficiens est motivum intellectui operantis, & fundamentum formalis certitudinis, quam in facta hypothese impedire non potest verisimilitudo sententiae tutioris, & legem affirmantis, quamvis supponatur absolutè & secundum se magna; quia, quantumvis secundum se magna supponatur, re ipsa, omnibus maturè ponderatis, exigua est relatè ad operantem, qui idcirco potest illam prudenter contemnere, & consequenter, illam non obstante, prudenter & firmiter adherere opinioni minus tuta, tanquam vera, & verè neganti existentiam legis, operationem prohibentis.

Dices. Operans in facta hypothese secundum opinionem minus tutam, non potest sine aliqua formidine oppositi judicare hanc opinionem esse veram, & verè negare existentiam legis operationem prohibentis. Ergo non potest habere moralem certitudinem de rectitudine operationis. *R. dist. ant.* Non potest sine aliqua formidine oppositi, quae sit composibilis cum firmo & prudenti iudicio de veritate opinionis, & de non existentia legis prohibentis operationem. *C. ant.* Quae non sit composibilis cum tali iudicio. *N. ant. & conseq.* Ad huius solutionis intelligentiam.

Nota. Duplex hic distingui potest & debet formido intellectus, una scilicet logica, & altera moralis. Formido logica est actus, quo intellectus cognoscit, non repugnare praecise ex vi motivi, propter quod assentitur, rem aliter se habere quam iudicat; quia motivum, propter quod intellectus assentitur, non est omnino certum, nec excludit omnem verisimilitudinem à parte oppositae, unde nec tribuit, nec tribuere potest intellectui omnimodam certitudinem de veritate obiecti, hoc est, intellectum nec determinat, nec determinare potest ad iudicandum determinatè, rem non posse aliter se habere, quam iudicat; imò è contra intellectum determinat propter absolutam suam fallibilitatem ad iudicandum, ex vi illius praecise non repugnare, quòd res aliter se habeat, quam iudicat.

Formido moralis est actus, quo intellectus dicit, rem fortè aliter se habere; vel, si vis, quo non leviter suspicatur rem aliter se habere, quam iudicat. Haec autem formido oritur vel ex eo, quòd motivum, propter quod intellectus assentitur alicui obiecto, tenuem tantum habet verisimilitudinem; vel ex eo quòd minorem habet verisimilitudinem, quam motivum partis oppositae; vel denique ex eo quòd non habet maiorem, sed aequalem tantum.

Prima formido essentialis est omni assensui opinativo; quia intellectus sine illa nec assentitur, nec assentiri potest alicui obiecto propter motivum purè verisimile, neque ab assensu intellectus excludi potest, nisi per motivum omnino certum & infalli-

bile, quale est in supernaturalibus auctoritas Dei revelantis credibiliter, & in naturalibus motivum simpliciter evidens & scientificum. Unde intellectus assentiens alicui obiecto propter auctoritatem Dei revelantis credibiliter, vel propter motivum aliquod simpliciter evidens, non solum determinatè iudicat rem ita se habere, sed etiam non posse aliter se habere, quam iudicat.

Secunda formido non est essentialis, sed accidentalis assensui opinativo. Unde assensus opinativus potest esse sine formidine morali, & est, quoties scilicet motivum purè verisimile, propter quod assentitur intellectus, magnam & notabilem habet apparentiam veri, nec concurret cum alio motivo ad oppositum, aut si concurret, illi notabiliter praeponderat. Tunc enim intellectus assentitur sine fluctuatione & hesitatione, sicque firmiter assentitur, non absoluta quidem, sicut in assensu fidei divinae & scientifico, sed morali firmitate, quae non omnimodam, sed moralem formidinem excludit, & ita non quidem omnimodam, sed moralem certitudinem habet de veritate obiecti.

Itaque cum operans in praesenti hypothese non possit assentiri opinioni minus tuta, nisi propter motivum purè verisimile, non potest ei assentiri, nisi assensu opinativo, & ita non potest ei assentiri sine formidine logica, quae ab assensu opinativo separari non potest: at potest assentiri opinioni minus tuta sine formidine morali; quia formido moralis separabilis est ab assensu opinativo, & re ipsa separatur, quando motivum assentiendi purè verisimile magnam habet & notabilem apparentiam veri, & notabiliter maiorem, quam habet motivum partis oppositae. Unde operans in praesenti hypothese non potest quidem opinioni minus tuta adherere firmiter firmitate absoluta, quacumque impossibilis est non solum formido moralis, sed etiam logica: at potest adherere firmiter firmitate morali, quacumque sola moralis formido impossibilis est. Unde ulterius operans in praesenti hypothese, non potest quidem habere absolutam certitudinem de veritate opinionis minus tuta, & de non existentia legis operationem prohibentis: hanc enim absolutam certitudinem excludit formido logica, quam non potest non habere, qui assentitur propter motivum purè verisimile: at potest habere & habet moralem certitudinem, quam excludere potest sola formido moralis, qua caret, qui assentitur propter motivum, magnam & notabilem habens verisimilitudinem, & notabiliter maiorem verisimilitudinem, quam habet motivum partis oppositae. Operans igitur in praesenti hypothese, habere potest certitudinem de veritate opinionis minus tuta, ad licitè & impunè secundum illam operandum planè sufficientem; neque circa veritatem ejus necessariò patitur formidinem, nisi eam, quam prudenter contemnere potest, & contra quam proinde potest prudenter operari, & absque morali ac proximo periculo legem divinam transgrediendi.

Obj. 4. Operans in praesenti hypothese secundum opinionem minus tutam, & contra legem naturalem, non excusatur à peccato, si aut non datur ignorantia invincibilis juris naturalis, aut ex suppositione, quòd detur, non excusat operantem ex ea. At qui aut nulla datur ignorantia invincibilis juris naturalis, aut saltem ex suppositione quòd detur aliqua, non excusat eum, qui operatur ex illa. *Ad solutionem* huius difficultatis erunt adhuc duo sequentes Articuli.

ARTICULUS VII

Utrum detur aliqua ignorantia invincibilis juris naturalis.

RESPONSIO.

Atur ignorantia invincibilis juris naturalis circa conclusiones valde remotas ex primis principiis.

Prob.

Prob. 1. autoritate Alexandri VIII. qui hanc propositionem, *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam*, condemnavit. In hac autem propositione agitur de opinione minus tuta, quæ versatur circa jus naturale, & quæ proinde negat operationem aliquam lege naturali prohibitam esse. Unde sic argumentor breviter. Potest homo quandoque in operando sequi opinionem minus tutam circa jus naturale, sive vera sit, sive non, hoc est, sive consentanea sit juri naturali, sive non. Patet ex propositione damnata. Ergo quandoque potest licite & impunè operari contra jus naturale. Ergo quandoque ignorantiam habet invincibilem juris naturalis: nam si omnis omnino ignorantia juris naturalis vinci posset, omnis vinci deberet, & ita nunquam operans contra jus naturale, licite & impunè operaretur: nunquam enim operans excusari potest à peccato per ignorantiam, quam vincere potest & debet; ut per se manifestum est.

Prob. 2. autoritate Scholasticorum, qui assertionem nostram magno inter se consensu defendunt. Pro omnibus sic suares, cujus procul dubio auctoritas magno intervallo superat auctoritatem Neotericorum quorundam, qui contra torrentem Doctorum non verentur contrariam sententiam defendere. Hic autem sic loquitur lib. 2. de legibus c. 8. num. 7. *Mea sententia est, prima principia non posse ignorari ullo modo, nedum invincibiliter: præcepta verò particularia, quæ vel per se nota sunt, vel facillimè ex per se notis colliguntur, ignorari quidem posse, non tamen sine culpa, saltem per longum tempus, quia & facillima diligentia cognosci possunt, & natura ipsa & conscientia ita pulsant in actibus eorum, ut non permittat inculpabiliter ignorari: & hujusmodi sunt præcepta Decalogi, ac similia: & hoc satis significavit Paulus ad Rom. 2. Nam de transgressoribus horum præceptorum loquebatur, quando de Gentibus dicebat, datas esse in reprobum sensum propter peccata sua. Alia verò præcepta, quæ majori indigent discursu, ignorari possunt invincibiliter, præsertim à plebe, juxta cap. Obijciuntur 1. qu. 4. & ratio per se facilis est.*

Prob. 3. experientia. Nam Doctores, etiam gravissimi & sanctissimi, passim in rebus ad jus naturale pertinentibus dissident inter se, alii affirmando, alii negando aliquid esse contra jus naturale, quorum proinde aliquos contra jus naturale errare manifestum est: ex duabus enim propositionibus contradictoriis unam esse falsam necesse est. Ergo vel datur aliqua invincibilis ignorantia juris naturalis, vel viri gravitate & sanctitate insignes graviter peccarunt, tradendo & scribendo ex ignorantia vincibili falsam doctrinam contra naturale jus. Secundum non nisi imprudenter & temerè dici potest. Ergo, &c. Ex hoc

Prob. 4. à priori; quia ignorantia illa censei non potest vincibilis, quæ superari non potest, adhibita morali diligentia. Atqui circa multa juris naturalis capita datur ignorantia, quæ superari non potest, etiam adhibita ad eam vincendam morali diligentia. Nam multi graves & sancti Doctores circa varia juris naturalis capita errarunt, etiam post diligentissimam veritatis investigationem; quam investigationem qui negat ab eis factam, gratis negat, & negando gravem illis injuriam facit. Ergo, &c. Porro si tales viri sine ulla sua culpa vel negligentia toties circa jus naturale aberrarunt à veritate, quanto magis inculpabiliter aberrare possunt rudes, illiterati, infideles, & fideles omnes, qui neque ea doctrina, neque ea ingenii vi pollent, qua viri illi excelluerunt? Ergo perpetràm asseritur & temerè, vincibilis esse omnis omnino ignorantia juris naturalis.

Obi. 1. S. Augustinus pluribus locis docet nullam dari juris naturalis invincibilem ignorantiam. Sic v. g. conc. 25. in Psal. 118. loquitur: *Nullus est, qui faciat alteri injuriam, nisi qui fieri sibi nolit. & in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare.* R. S. Doctorem hoc loco & aliis similibus

loqui de lege naturali sumpta secundum prima principia, & præcepta particularia, quæ vel per se nota sunt, vel facillimè ex per se notis colliguntur; ut satis apparet ex verbis laudatis. Quantum ad reliqua, quæ remotiora sunt à primis principiis, tenet alia ignorari vincibiliter, quia sciri possunt, adhibita morali diligentia ad cognoscendam veritatem; alia invincibiliter ignorari, quia etiam adhibendo moralem diligentiam ad cognoscendam veritatem, non possunt homines in eorum notitiam devenire.

Dices. S. Doctor lib. 3. de lib. arb. c. 19. scribit omnem ignorantiam juris naturalis vinci posse cum auxilio divinæ gratiæ, quæ non denegatur iis, qui eam petunt sicut oportet, & imbecillitatem suam humiliter Deo confitentur. *Nulli homini, inquit, ablatum est scire quærere, quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille subveniat, qui nec errat, dum subvenit, nec laborat.* R. S. Doctorem hoc loco, & aliis similibus, loqui non de quavis ignorantia juris naturalis, sed solum de ea, quæ licet non possit vinci solis naturæ viribus, superari tamen potest cum ordinario gratiæ auxilio, quod debet petentibus, & impotentiam suam humiliter confitentibus, nunquam denegatur à Deo, qui nec ignorare potest, quo ad depellendam ignorantiam indigemus adjutorio, nec difficultatem aliquam pati in illo nobis subministrando.

Porro præter hanc juris naturalis ignorantiam, quæ vinci potest cum ordinariis gratiæ auxiliis, est etiam alia, quæ non potest superari sine auxilio extraordinario, quod Deus saltem regulariter non dat etiam debetè potentibus, & suam imbecillitatem humiliter confitentibus; ut patet in gravissimis & sanctissimis Doctoribus, qui aliquando errant, & falsas circa jus naturale opiniones docent, quos tamen orasse, & imbecillitatem suam Deo humiliter confessos esse, nefas est inficiari.

Obj. 2. S. Thomas quodl. 8. a. 13. in O. apertè docet nullam ignorantiam juris naturalis esse invincibilem: nam sic loquitur: *Illud quo agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam.* Ergo, &c. R. neg. ant. *Ad prob. R.* S. Doctorem hic loqui de lege, quæ potest & debet sciri, & de conscientia vincibiliter erronea: unde verissimum est, quod hic ait S. Doctor. Peccat enim, qui agit contra legem, quam potest & debet scire, quantumvis contra illam agat ex firma persuasionem, quod non existat, & consequenter quod actio non sit lege prohibita: persuasio enim de non existentia legis, quæ potest & debet sciri, non potest non esse imprudens & culpabilis, utpotè fundata in ignorantia vincibili & culpabili, quæ operantem ex ea contra legem à peccato excusare non potest. Hoc autem dicendo Angelicus Doctor ne leviter quidem innuit, jus naturale in nullo prorsus puncto ignorari posse invincibiliter, quasi verò hoc dicere non potuerit, nisi supponendo omnem omnino ignorantiam juris naturalis vincibilem & culpabilem esse, & ita omnem omnino conscientiam, falsò dictantem aliquid non esse lege naturali præceptum vel prohibitum, vincibiliter & culpabiliter erroneam esse. Certè manifestum est S. Doctorem satis fuisse, si supponeret articulo citato agi de lege naturali quantum ad aliquod præceptum, quod morali diligentia adhibita, certè cognosci posset.

At inquit. Sic argumentatur S. Thomas art. cit. Vel verum est, quod lex naturalis prohibeat pluralitatem beneficiorum, vel non est verum, sed falsum. Si primum: qui habet plura beneficia, hoc ipso peccat, quia transgreditur legem naturalem. Si secundum: vel judicat pluralitatem beneficiorum lege naturali prohibitam, & adhuc peccat, quia agit contra conscientiam: vel saltem dubitat, utrum pluralitas beneficiorum sit lege naturali prohibita, an non; & adhuc peccat, quia exponit se morali periculo transgrediendi legem, quantum est in se; vel denique determinatè & firmiter judicat pluralitatem beneficiorum

rum

rum non esse prohibitam, & tunc non peccat, quia tunc neque contra legem, neque contra conscientiam, neque cum dubio practico retinet plura beneficia, sed cum firma & vera persuasione, quod licet possit retinere.

Sic autem subsumes. Atqui hoc S. Doctoris rationium supponit alterum & duobus, nempe aut nullam dari ignorantiam juris naturalis, quæ non sit vincibilis, aut ignorantiam invincibilem juris naturalis non excusare à peccato formali. Secundum dici non potest; cum S. Thomas doceat constanter omnem ignorantiam invincibilem à peccato excusare. Ergo primum dici debet. Ergo S. Thomas docuit omnem ignorantiam juris naturalis vincibilem esse, relatè scilicet ad eos omnes, qui rationis usum habent. *R. neg. subst.* Nam manifestum est, S. Doctorem ad sic ratiocinandum satis fuisse, quod existimaret & supponeret præceptum naturale prohibens pluralitatem beneficiorum, ex hypothesi quod datur, esse de genere eorum, quæ adhibita morali diligentia sciri possunt; quia maturè & absque inordinato affectu consideranti omnia per se innotescunt, aut saltem ex primis principijs, vel alijs per se notis humanitùs possunt erui.

At inquires. S. Doctor 1. 2. qu. 94. a. 4. & 6. docet legem naturalem quoad prima principia non posse ullo modo ignorari, etiam ignorantia culpabili; quoad conclusiones verò & præcepta secundaria posse quidem ignorari, sed ignorantia culpabili tantum, proindeque non posse ignorari, nisi ignorantia vincibili. Nam sic ait a. 4. in O. *Lex naturæ, quantum ad prima principia communia, est eadem apud omnes & secundum rectitudinem & secundum notitiam; sed quantum ad quedam propria, quæ sunt quasi conclusiones principiorum communium, est eadem apud omnes ut in pluribus, & secundum rectitudinem & secundum notitiam; sed ut in paucioribus potest deficere, & quantum ad rectitudinem propter aliqua particularia impedimenta... & etiam quantum ad notitiam, & hoc propter hoc quod aliqui habent depravatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturæ. Sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum. Eandem tradit doctrinam a. 6. in O. Quantum, inquit, ad principia communia, lex naturalis nullo modo potest à cordibus hominum deleri... quantum verò ad alia præcepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones... vel etiam propter pravas consuetudines & habitus corruptos: sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apost. dicit ad Rom. 1. R. semper S. Doctorem locis citatis loqui de conclusionibus & præceptis secundariis, quæ ex primis principijs erui & colligi possunt ab homine debitam in investiganda veritate diligentiam, quæ moraliter possibilem non excedit, adhibente. Bonitas hujus responsionis manifesta est ex exemplis à S. Doctore allegatis.*

Obj. 3. Sententia nostra repugnat axiomati theologico: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Et Scripturæ dicenti: *Querite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis.* *R. neg.* Nam 1. axioma intelligi debet de gratia necessaria ad salutem, non de gratia necessaria ad inveniendam omnem veritatem. 2. Scriptura laudata non ita generaliter accipienda est, ut etiam intelligatur de auxilijs gratiæ extraordinarijs, infallibiliter donandis debitè peccantibus, & imbecillitatem suam consentientibus, sine quibus tamen auxilijs non possumus semper assequi veritatem circa omnes casus, ad quos sese extendit lex naturalis, & de quibus tantum dissidium est inter Doctores etiam gravissimos & sanctissimos.

Obj. 4. Si datur aliqua ignorantia invincibilis juris naturalis, Deus non sufficienter promulgavit legem naturalem. Absurdum conf. Ergo, &c. *R. neg. seq. maj.* Nam ad sufficientem legis naturalis promulgationem sufficit, quod Deus ita illam hominibus proposuerit, quantum ad præcepta universalissi-

ma, & præcepta particularia, quæ sunt velut conclusiones præceptorum universalissimorum, ut quoad hoc non possit, nisi culpabiliter, ignorari saltem per longum aliquod tempus. Neque ad sufficientem promulgationem legis naturalis requiritur, ut ita proponatur hominibus, ut possit ab eis, morali diligentia adhibita, evidenter cognosci quoad omnes omnino casus, qui in præceptis universalissimis, aut particularibus, ex universalissimis proximè deducibilibus, implicite continentur, quique innumeri sunt, nec in præsentis statu non solum à rudibus, sed etiam à sapientibus cognosci evidenter non possunt absque miraculo.

Obj. 5. Si daretur ignorantia aliqua juris naturalis, quæ non posset vinci per moralem diligentiam, Deus impossibilia præciperet hominibus. *R. neg. seq.* Nam vel possumus cum morali diligentia cognoscere ea, quæ sunt juris naturalis, & cognita implere: vel si aliquando non possumus ea cognoscere cum morali diligentia, & ita aliquando aliquid ex ignorantia invincibili facimus, quod adversatur legi naturali, illud à Deo nobis non imputatur ad culpam. Unde tunc contra legem naturalem peccamus materialiter tantum, & non imputabiliter.

Obj. 6. Deus vult ab omnibus hominibus totam legem naturalem impleri. Ergo Deus non potest unicuique facienti, quod in se est, non dare auxilium sufficiens ad cognoscendam & implendam totam legem naturalem. Ergo nullus hominum, rationis suæ compos, quidquam ad jus naturale pertinens ignorare potest, nisi vincibiliter & culpabiliter. *R. Deum velle, ut totam legem naturalem implerent omnes homines, quantum possunt cum ordinarijs auxilijs, quibus sine aliqua sua culpa carere non possunt, & cum extraordinarijs, si dentur, & quando dantur illis. Item Deum velle, ut totam legem naturalem implerent omnes homines, quantum in se est secundum prudentem estimationem; nunquam scienter contra illam agendo, nunquam exponendo se morali periculo illam violandi, & ad hunc finem in dubijs tutiorem partem semper eligendo, nunquam denique operando, nisi præmissa diligenti veritatis inquisitione, & cum prudenti ac firma persuasione de rectitudine operationis. Deus autem non ita vult totam legem naturalem impleri ab omnibus hominibus, ut non permittat illam ignorari invincibiliter, & sic materialiter tantum violari quantum ad multos casus particulares, qui in illa implicite continentur; hoc enim impedire non posset, nisi patrando miracula, & per extraordinariam providentiam supplendo defectum causarum secundarum, ad quod non tenetur; cum ad salutem hominum procurandam, aut ad sapientem hujus universi gubernationem minimè necessarium sit; neque rationes sufficientissimæ deesse illi possint, ad permittenda multa non solum materialiter, sed etiam formaliter peccaminosa.*

ARTICULUS VIII.

Utrum ignorantia invincibilis juris naturalis excuset à culpa.

RESPONSIO.

Omnis invincibilis ignorantia juris naturalis excusat à formali peccato. Est contra Lutherum, quem Jansenius sequitur lib. 2. de statu naturæ lapsæ c. 2.

Prob. 1. autoritate Alexandri VIII. qui hanc damnavit propositionem: *Tametsi datur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.* Et istam: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Ex istius autem propositionis condemnatione manifestè colligitur, non peccare operantem secundum opinionem minus tutam, saltem quando inter probabiles probabilissima est, etiam si

etiam si falsa sit, & falsò neger, aliquid præceptum vel prohibitum jure naturali. At proculquibio peccaret, si invincibilis ignorantia juris naturalis non excusaret à culpa. Ergo, &c.

Prob. 2. autoritate S. Augustini, qui l. 3. de lib. arb. c. 19. hominis de ignorantia juris naturalis, orta ex peccato originali, expostulantis, querelas comprimit his verbis: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras.* Sed quod ignoramus invincibiliter, inviti ignoramus. Ergo ex S. Augustino, nobis ad culpam non deputatur id, quod contra jus naturale facimus ex ignorantia illius invincibili. Cujus rei rationem optimam suggerit S. Doctor, quia illud non potest nobis deputari ad culpam, quod nobis planè involuntarium est, seu quod nobis neque in se neque in causa voluntarium est sub ratione culpæ. At qui quod facimus contra jus naturale ex ignorantia illius invincibili, nobis neque in se neque in causa voluntarium est sub ratione culpæ: cum neque in se neque in causa sit à nobis volitum, quæ culpa est; nam & à nobis ignoratur secundum circumstantiam malitiæ, quam habet, & hanc ignorantiam omnino nolumus, quia, ut supponitur, non facimus id, quod re ipsa facimus contra jus naturale, nisi post diligentem veritatis inquisitionem. Ergo non potest nobis ad culpam deputari id, quod contra jus naturale facimus ex ignorantia illius invincibili, quam proinde à peccato formaliter excusare necesse est.

Quare S. Doctor eod. loco paglò inferius expressè docet, ea quæ malè sunt ex ignorantia invincibili juris naturalis, non esse nisi improprie & metaphoricè peccata, sicut lingua græca vel latina non dicitur nisi improprie & metaphoricè lingua. Nam sic ait: *Illud quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo libere voluntatis (Adæ) originem ducunt.* Illud enim præcedens meruit ista sequentia, *Nam sicut linguam dicimus, non solum membrum, quod movemus in ore, dum loquimur, sed etiam illud, quod hujus membri motum consequitur, id est, formam tenoremque verborum; secundum quem modum dicitur alia lingua græca, alia latina; sic non solum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum; libera enim voluntate & ab sciente committitur; sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est.* Quibus verbis luculenter docet duo S. August. nempe & dari aliquam ignorantiam invincibilem juris naturalis, & id quod ex tali ignorantia fit contra jus naturale, non esse formaliter & imputabiliter peccaminosum.

Prob. 3. autoritate Scolasticorum, pro quibus omnibus sit Magister Sententiarum lib. 2. dist. 22. ubi sic ait: *Est autem ignorantia triplex, & eorum scilicet, qui scire nolunt, cum possint; quæ non excusat, quia & ipsa peccatum est; & eorum, qui volunt, sed non possunt; quæ excusat, & est pœna peccati, non peccatum; & eorum, qui quasi simpliciter nesciunt, non renuentes vel proponentes scire; quæ neminem plenè excusat, sed sic fortasse ut minus puniatur.* Quibus verbis Magister triplicem distinguit ignorantiam etiam juris naturalis; nam generaliter loquitur: unam scilicet, quæ directè volita est, & nullo modo excusatur; alteram, quæ volita est indirectè tantum, nempe in negligentia addiscendi, quæ neminem excusat omnino; & tertiam, nec directè, nec indirectè volitam, sed invincibilem, quæ omnino excusat. Ratio autem disparitatis optima, quam affert, est, quia prima & secunda ignorantia sunt peccatum; tertia verò solum est pœna peccati.

Prob. 4. ratione. Si ignorantia invincibilis jus naturalis non excusat à peccato operantem ex ea, maxime, ut vult Janenius lib. 2. de natura lapsæ, cap. 6. quia est pœna peccati originalis. Atqui hæc ratio manifestè nulla est. Ergo, &c. *Prob. 5.* Nam 1. amenitas, furor, phrenesis, juxta ipsummet Janenium l. 3. de statu puræ naturæ c. 11. sunt pœna peccati originalis, & tamen excusant à peccato: non enim amenitibus, aut phreneticis deputatur ad culpam id, quod

agunt contra jus naturale. 2. Ignorantia invincibilis Evangelii in infidelibus, qui nihil unquam de Christo audierunt, excusat à peccato infidelitatis, ut certum est, & docet ipse Janenius lib. 2. de statu naturæ lapsæ c. 5. & tamen ignorantia illa est pœna peccati originalis, ut affirmat S. Augustinus epist. 105. & post eum S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 1. in O. Verba S. Augustini sunt: *In illis, qui credere noluerunt, ignorantiam peccatum est; in illis autem, qui non audierunt, pœna peccati est.* Ratio autem manifesta in principiis S. Augustini est, quia ignorantia Evangelii in infidelibus negativis est effectus reprobationis negativæ, seu eorum derelictionis in massa perditionis: reprobatio verò negativa effectus peccati originalis. Ergo, &c.

Obj. 1. Synodus Palestina damnavit hanc Celestii propositionem, *Oblivionem & ignorantiam non subiacere peccato: quoniam non secundum voluntatem, sed secundum necessitatem eveniunt.* Sed hac propositione docebat Celestius ignorantiam invincibilem juris naturalis excusare à peccato. Ergo Synodi Palestina sententia fuit, quod ignorantia invincibilis juris naturalis non excuset à peccato. *R.* Celestius in hac propositione, quam damnavit Synodus Diopolitana, loquebatur non solum de ignorantia juris naturalis, sed etiam de ignorantia facti, & juris positivi, sive divini, sive humani, nec solum de ignorantia invincibili, sed etiam de vincibili: uno verbo, loquebatur de omni omnino ignorantia, quæ non esset affectata, & directè procurata; & volebat tantum, præter ignorantiam, quæ affectatur & directè procuratur, proindeque secundum voluntatem evenire rectè dicitur, nullam aliam peccatum esse: quia scilicet, ut putabat, omnis alia ignorantia non secundum voluntatem, sed secundum necessitatem, seu ex conditione naturæ, ipsique ingeni infirmitate evenit.

Celestius igitur ignorantiam tam facti quam juris naturalis & positivi generaliter dividebat in affectatam & non affectatam. Affectatam peccato subiacere fatebatur, quia evenit secundum voluntatem; cum à voluntate procuratur. Non affectatam, nulla alia distinctione facta, nolebat subiacere peccato, falsò existimans omnem non affectatam, quia non procuratur à voluntate, omnino involuntariam esse, & necessariò conditionem & imbecillitatem naturæ consequi, velut defectum illi connaturalem, qui proinde immeritò deputaretur ad culpam. Ex his apparet errorem Celestii in eo constituisse, quod ignorantiam non affectatam, quæ, adhibita morali diligentia, vinci potest & debet, ab ea, quæ non potest, non distingueret; & ita utramque confundendo, utramque indiscriminatim & pariter negaret esse peccatum.

Merito itaque propositionem Celestii, omnem omnino ignorantiam, sola affectata excepta, innocentem & inculpabilem pronunciantis, condemnavit Synodus Palestina; non quia ignorantiam etiam invincibilem juris naturalis judicavit peccatum esse, nec proinde à peccato excusare operantem ex ea; sed quia præter ignorantiam affectatam, quæ peccatum est, & idcirco operantem ex ea non excusat, & præter non affectatam, quæ per moralem diligentiam vinci non potest, aut saltem non debet, quæque proinde peccatum non est, & excusat operantem ex ea; est alia etiam non affectata, quæ vinci potest & debet, quia est eorum, quæ quis scire tenetur, & potest: unde peccatum est, & causa peccati in illo, qui ex ea contra jus sive naturale sive positivum operatur. Est autem ad rationem peccati sufficienter voluntaria; quia, non quidem directè, sicut affectata, sed indirectè volita est in negligentia addiscendi ea, quæ scire tenemur, & possumus. Unde Celestio objicienti: Hæc ignorantia non evenit nobis secundum voluntatem: ergo nobis evenit secundum necessitatem, & consequenter nullo modo nobis voluntaria est; *R.* dist. ant. Non evenit nobis directè secundum voluntatem, C. ant. Non evenit nobis indirectè secundum voluntatem, N. ant. & conseq.

Veritas doctrinæ hæcenus expositæ confirmari potest ex verbis à Synodo subjectis propositioni Celestii, Red-

Reddens enim rationem, cur hanc damnet propositionem, sic ait: *Cum David dicat: Delicta juventutis meae ne memineris, & ignorantia; & in lege sacrificia pro ignorantia, sicut pro peccato offerantur.* David autem petebat veniam ignorantia, qualis erat illa, pro qua offerebantur sacrificia, & sacrificia offerebantur pro ignorantia non affectata, & indirecte tantum volita in negligentia addiscendi ea, quae sciri poterant & debebant, ut dicit Sanctus Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 17. his verbis: *Aliud est non curasse scire, quae negligentiae peccata etiam per sacrificia quadam legis videbantur expiari.* Ex quibus apparet Celestium à Synodo damnatum fuisse, eo quod vellet nullam planè ignorantiam, præter affectatam & directè volitam, peccatum esse, & peccati causam; neque aliud definire Synodum voluisse, quam ignorantiam omnem, indirecte tantum volitam in negligentia addiscendi ea, quae possumus & tenemus scire, & peccatum esse, & nobis ad peccandum sufficere; quod tandem aliquando ipsimet Pelagiani, à Catholicis convicti, ut verum agnoscerent, aut certe se agnoscere simularunt. Quod obiter notandum fuit.

Obj. 2. Sanctus Hieronymus lib. 1. & 2. contra Pelagianos, ea quae male sunt ex ignorantia invincibili juris naturalis, probat esse peccata. R. neg. Nam 1. S. Doctor libris citatis agit contra Pelagianos de ea ignorantia, quae ipsa propriè peccatum est, qualis profecto non est ignorantia invincibilis juris naturalis. Sic autem sub persona Attici loquitur lib. 1. *Nunc mihi latissima Scripturarum spatia peragrandasunt, ut doceam errorem & ignorantiam esse peccatum.* 2. Agit non solum de ignorantia juris naturalis, sed etiam de ignorantia facti, & juris positivi, etiam humani. Unde manifestum est illum non agere de ignorantia invincibili, quia indubitarum est, ignorantiam facti & juris positivi invincibilem, nec peccatum, nec peccati causam esse. Agit igitur de ignorantia non affectata, sed in negligentia addiscendi, quae possunt & debent sciri, indirecte volita, & consequenter nobis ad imputabilitatem sufficienter voluntaria; quam proinde merito contendit & peccatum esse & causam peccati, sive sit ignorantia juris naturalis, sive facti tantum, aut juris positivi divini, vel humani.

Quod autem non solum agat de ignorantia juris naturalis, sed etiam de ignorantia facti, & juris positivi etiam humani, patet ex eo, quod, ut probet ignorantiam illam, de qua loquitur, peccatum esse, & illa, quae male sunt ex ea, esse peccata, utitur illis Scripturae locis, in quibus agitur de ignorantia facti & juris positivi etiam humani: nam v. g. adhibet illud Lev. c. 22. *Si comederit homo de sacrificiis per ignorantiam, imputabitur ei iniquitas, atque delictum;* in quo agitur de ignorantia facti. Et argumentans ex lib. 1. Reg. cap. 12. sic ait: *Jonathas favum mellis gustavit in sepiro, & illuminatis oculis periclitatur, quod nesciens fecerit.* At ignorantia illa ex qua peccavit Jonathas, fuit ignorantia juris positivi humani, nempe præcepti paterni.

At inquit. S. Hieronymus libris citatis docet & probat homines in præfenti statu non posse carere ignorantia peccatis. Ergo docet & probat, ea, quae male sunt ex ignorantia invincibili juris naturalis, esse peccata. R. neg. conseq. S. enim Hieronymus per ignorantia peccata non intellexit ea, quae male sunt contra jus naturale ex ignorantia invincibili; sed ea, quae male sunt sive contra jus naturale, sive contra jus positivum, ex ignorantia, quae ipsa peccatum est propriè dictum, qualiscertè non est ignorantia invincibilis etiam juris naturalis. Igitur juxta S. Hieronymum, ignorantia peccata sunt ea, quae male sunt contra jus aliquod, sive naturale, sive positivum, sive divinum, sive humanum; malè, inquam, sunt ex ignorantia, quae licet non sit affectata, hoc est, directè volita & procurata, est tamen verè culpabilis; quia est eorum, quae sciri possunt & debent, & tamen non sciuntur propter ne-

gligentiam addiscendi. Unde fit, ut & ignorantia illa, & id omne, quod ex ea malè fit, merito deputetur ad culpam.

Contendit autem S. Hieronymus homines in præfenti statu naturae lapsae ejusmodi peccatis carere non posse propter moralem quandam impossibilitatem, ex originali peccato contractam, exactè addiscendi omnia, quae scire possunt & tenentur, seu, quod idem est, propter tantam difficultatem adhibendi sufficientem diligentiam ad scienda omnia, quae possunt & debent sciri, ut, seculo specialis gratiae, quae admodum paucorum est, privilegio, numquam contingat homines eam omnem, quam possunt & debent, diligentiam re ipsa adhibere ad scienda ea, quae possunt & tenentur scire, & ita nunquam contingat illos ea omnia, quae possunt & debent, re ipsa scire. Unde fit, ut nunquam careant aliqua ignorantia culpabili, & sæpè culpabiliter agant, etiam cum se rectè agere arbitrantur. Qua doctrina, quam nos ut verissimam ambabus ulnis amplectimur, impugnat S. Hieronymus unum è præcipuis Pelagianorum erroribus, hominem scilicet quemlibet in præfenti statu posse, si velit, carere omni peccato, & ita ab omnis culpae labe purum esse, ut non possit absque mendacio dicere cum cæteris fidelibus: *Dimitte nobis debita nostra.* Quem intollerandum errorem ut defenderent, docebant oblivionem & ignorantiam, nisi esset affectata & directè volita, non subjacere peccato.

Obj. 3. varia S. Augustini loca. Primus est lib. 3. de lib. arb. c. 18. ubi sic loquitur S. Doctor: *Et tamen per ignorantiam facta quadam improbantur, & corrigenda judicantur: sicut in divinis autoritatibus legimus. Ait enim Apostolus: Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Ait & Propheta: Delicta juventutis & ignorantia mea ne memineris.* R. S. Doctorem hoc loco loqui de ignorantia non solum juris naturalis, sed etiam positivi, ut patet ex allegatis Apostolis verbis, quibus ait se misericordiam consecutum esse propter ignorantiam Evangelicæ legis. Cum ergo S. Doctor ait, facta quadam per ignorantiam improbari, & corrigenda judicari, loquitur de ignorantia, quae vinci potuit & debuit, & quae propter negligentiam addiscendi, merito imputatur, nec excusare potest illa, quae male sunt contra jus sive naturale, sive positivum. Quod confirmatur ex eo, quod ante verba laudata doceat omnem ignorantiam invincibilem excusare à culpa. *An tanta fallacia est,* inquit, *ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?*

Secundus est epist. 154. *Si quis bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit hoc putando, utique peccat. Et ea sunt omnia peccata ignorantiae, quando quisque bene fieri putat, quod male fit.* R. S. Doctorem hic agere de facto aliquo, nempe utrum caro aliqua idolis immolata fuerit, an non, de qua proinde dubium est utrum licitè comedi possit, an non. Ad hunc autem casum sic respondet. Vel caro illa immolatio est, vel non. Si non est immolatio, & comedens determinatè judicat non esse immolaticiam, deposito prudenter dubio, comedendo non peccat. Si quis autem in dubio, utrum immolaticia sit, an non, comedat illam, putans non illicitum esse comedere carnem immolaticiam, peccat; quia scilicet putat ex ignorantia legis quae hanc comestionem prohibet, & quam potuit ac debuit scire. Unde peccat peccato ignorantiae, qualia sunt ea omnia, quae male sunt, & tamen bene fieri creduntur ex ignorantia, quae vinci potuit & debuit.

Tertius est in Enchiridio c. 81. *Duabus ex causis peccamus, aut nondum videndo quid facere debeamus, aut non faciendo, quod debet fieri, jam videmus. Quorum duorum illud ignorantia malum est, hoc infirmitas. Contra que quidem pugnare nos convenit: sed profecto vincimur, nisi divinitus adjuvemur.* R. S. Augustinum hic manifestè non loqui de ignorantia simpliciter invincibili, sed de ignorantia, quam

quam quidem non solis naturæ viribus, sed cum ordinario gratiæ auxilio vincere possumus. Unde subdit orationem adhibendam esse ad depellendam talem ignorantiam. *Ille rogandus est, inquit, cui dicitur in Psalmo, Dominus illuminatio mea, & salus mea: ut illuminatio detrahat ignorantiam, salus infirmitatem.* Talem autem ignorantiam & peccatum esse, & causam peccati in eo, qui contra legem aliquam operatur ex ea, lubentissimè cum S. Augustino agnoscimus.

Quartus locus est lib. de grat. & lib. arb. cap. 3. *Aliud est nescisse, aliud scire noluisse. Voluntas quippe in ea arguitur, de quo dicitur: Noluit intelligere, ut bene ageret, Sed illa ignorantia, quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino, quod crederet: sed fortassis ut mitius ardeat.* R. hunc textum non esse ad rem; quia in eo S. Doctor loquitur de ignorantia Evangelii, seu juris positivi divini, non de ignorantia juris naturalis.

Quod si quæris, quæ sit hic mens S. Doctoris, R. 1. secundum interpretationem Magistri Sent, S. Doctorem distinguere duplicem ignorantiam Evangelii, unam scilicet affectatam, quæ est eorum, qui Evangelium scire nolunt, & quæ nullo modo excusat; alteram verò non affectatam, & consequenter non directè, sed indirectè tantum volitam, quæ est eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt

Evangelium; quam ignorantiam dicit S. Doctor non excusare à toto, licet fortassis excuset à tanto.

R. 2. & ut puto melius ad S. Doctoris mentem, illum per ignorantiam eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, intelligere inculpabilem & invincibilem ignorantiam Evangelii, & velle, hac non obstante ignorantia, infideles negativos, propter mortalia quæ admittunt peccata, sempiterno igne, quamvis fortasse mitius quam alios, qui proposito sibi Evangelio credere noluerunt, arduos esse; licet credituri fuissent, si prædicatum illis esset Evangelium, & baptismum susceperunt, atque mortalia, quæ in infidelitate admittunt, aut vitaturi, aut certe per salutarem poenitentiam deleturi: quia nimirum etiam in hac suppositione nullam habent justam excusationem; tum quia liberè peccant in infidelitate, tum quod non esse illis prædicatum Evangelium, est iusta poena peccati originalis, eandem tradit doctrinam in epist. 105.

Quintus est in Psal. 35. *Non sciebam, quia peccatum est, quando dicit homo: Cum videris, quia peccatum est, & destiteris facere ipsum peccatum, quod ideo faciebat, quia ignorabat.* R. 1. S. Doctorem hic loqui de ignorantia non solum juris naturalis, sed etiam juris positivi & facti. Nam generaliter loquitur de qualibet ignorantia, ex qua homo operans malè agit. R. 2. intelligi posse vel de ignorantia invincibili, & peccato materialiter sumpto; vel de ignorantia vincibili, & peccato sumpto formaliter. Utamque enim hanc interpretationem hic locus patitur.

